DISSERTATIO PRÆLIMINARIS,

De alienorum operum editione, de Scopo operis, de Philosophica dictione, de lapsibus Nizolii.

ALiorum Scripta edere, Lector benevole, humile est & contemtum, & ingenii per se pauperis nota esse videtur illis, quorum sublimis aut mens aut opinio supra cæteros se attollit, quibus mos est, sua nomina alienis chartis allinentes herbæ parietariæ convicio irridere, quod jam olim in Trajanum, ubique per omnes vetustatis ruinas sui nominis prodigum, jactaverat magnus Constantinus. Sed me quidem hæc parum movent, partim clarorum virorum exemplo munitum, partim parum dolentem si apud illos Censores ingeniosus non habear, cui sufficit, studii saltem ac voluntatis laudem retulisse. Exempla egregiorum hominum diu conquirere, copia non patitur, cùm ipsi Theologi censeant Scriptores Sanctos priorum memorias & perfecisse & edidisse, & continuasse Josuam Mosis, Samuelem Josuæ, Esdram Samuelis & Prophetarum. Apud Græcos magna ingenuitatis laude celebratur Xenophon, quod Thucydidis Historias in lucem misit, cum vel supprimere, ut solus laudaretur, vel sibi vindicare posset; dispari Aristotelis famæ, qui magna apud nonnullos invidia laborat suppressorum philosophiæ vetustioris monumentorum. Apud Romanos de vita veteribus reddenda mirificè solicitus fuit Hadrianus Imperator, qui non tantùm Scripta diligenter conquirebat, sed & ex statuis, ex picturis vetustate vitium facientibus effigies eorum pervestigabat repertisque, ne aliqua temporis injuria